



In Umbra alarum tuarum sperabimus donec auferat iniquitas Psal. 56.

RESONANS  
TURTURIS CONCENTUS  
PER AMENISSIME  
SACRARUM RELIGIONUM VARIARUM  
VOLUNTATIS  
Ex opusculis A.R.P.M. DOMINI  
GRAVINA ord. Praed.  
Revisus et illustratus per A.R.P.M.  
Thom. de Sana stud. ord.  
in Universita. Col. Prof. The.  
et in com. m. S. Crucis  
inditione Reipublicae

Vox Turturis

audita est. cant. 2.

S E V

AD NOSTRA TEMPORA

Et aliarum sacrarum Religionum Statu.



OPERIS HVIVS ARGVMENTO

S. Bernardus Serm. 59. in Cant.

Col. 1. Ipsa auicula si emis, non magni: *Si discutis, non parui precij est.*



Col. 2. *Et postea.* Et quamlibet multi sint, quos ita gemere audias vnus, per omnium labia, vox sonat.

Col. 4. *Et infra.* Ergo si in terrâ nostrâ, & flores apparuerunt, & VOX TVRTVRIS audita est; profecto, & visu veritas comperta est, & auditu. Hæc ille.

*Antony Carmiton  
Dycaelae.*



*S. Muz  
Victoria Bar*

Imprimebat Henricus Krafft sub signo Solis.

multitudine confluyente ad reliquias præcidendas cohonestatum est. Cadauer præterquã quod suauiter olere obseruatũ sit, etiam nunc integrum perseverat, obiit anno 1606. Dies me deficeret, si enarrarem virtutes, & sanctitatem Gasparis de Fosso Archiepisc. Regiens. P. Fr. Bartholomæi de Paterno, P. F. Matthæi de Solico, P. F. Bartholomæi de Martinez, P. F. Antonij, & F. Ioannis de Neapoli oblari, P. F. Bernardi Bonelli Episcopi Gerundensis. F. Io. à Neapoli clerici, P. F. Alphonfi de Villa maiori, & aliorum illustrium, quæ in nouissimo chronico exactè recensentur. Ad Virgines pergo.

In SS. Virginum agmine primatum tenent. Soror Hieronyma Paterno Neptis Sancti Francisci de Paula, & deuota Virgo Cæcilia Panormitana, eã subsequẽdo quæ à S. Francisco de Paula ad ordinẽ diuina visione vocata, ab eodẽ Sancto à plaga insanabili est curata; nec nõ Virgo Soror Maria Montenigro, & Soror MARIA de Arce virgo, & Soror Agnes de Cassata virgo, & Soror Maria Messana virgo, & Soror Claudia Panormitana virgo. Has sequitur Soror Gratia Valentina in vita, & in morte miraculis clara, quæ cum alijs Virginibus eiusdem instituti, sequuntur Agnũ quocumq; ierit. Sic Martyres, Cõfessores, & Virgines peperit Altissimo hæc sancta Religio, vt nequaquam minima sit, & si minimam se humiliter fateatur.

Pastores; atque Doctores sæcundos palmites quoque produxit. Inter cæteros D. Fr. Didacum de Ystella, & D. Patrem Fr. Bernardinum Episcopum Gerund. Fr. Gasparem Fossam Archiepiscopum Regiensẽ, & alios. Doctores verò innumeros, quis edisseret? pauci è multis recensentur, qui typis suas lucubrationes mandarunt, vt Pater F. Martinus Codonnar; Pater Fr. Alphonfus de Vega, Pater Fr. Ioannes

Thyernen. Pater Fr. Petrus Amoraga, Pater Fr. Petrus Ruijz. P. F. Gaspar Passarellus, pater Franciscus, Tamaius, pater Generalis Mena, innumeros reticeo.

Felix ergo vitis Franciscanæ religionis Minimorum, cuius succus tot fructus produxit, & botros, cuius etiam pampanis ecclesia non exiguo munitur subsidio, & à solis ardore persecutionum defenditur. An non grandis fuit defensio cum Ferdinando Hispaniarum Regi, per P. F. Abundantium, patrem Fr. Bernardum Buil, Fratres Minimos, victoria repromissa est, si aduersus Mauros arma assumeret? quod & factum est. Cum enim Malacham Granatæ obsiderent, absque spe recuperationis, audito nihilominus per dictos religiosos nuncio, ad eò roboratus est, vt ipsa nocte, fugientibus Mauris, libertas Virbi, & Regno redderetur. In cuius rei memoriam celebre Monasterium ab ipso Rege ordini extructum, quod deinceps de Victoria nominari voluit, & Fratres vsque in hanc diem de Victoria nuncupantur: & meritorum: nam Populus quoque quibus vitis agglutinatur coronis arbor est umbrosa vitricibus, quibus, & victorum capita coronantur.

Felix vinea, quæ adhuc seruat viriditatem iuuentutis suæ, viroremque à primordio receptum conseruans, ita fructum habens in tempore suo præparatum, vt folium eius non defluat, & omnia quæcunque facit, prosperentur.

## CAPVT XXIX.

*De florenti, & fructificante vinea Clericorum Regularium, qui & Theatini dicuntur.*

**C**Lericorum verò Regularium (qui & Theatini nuncupantur) vinea odorem suum, ex quo tempore plantata est, vsque

*Ex Syluestro Marulli Oceani Relig. lib. 5. c. 5. pag. 36.*

vſque ad hanc diem ſpirat, & ad eò vberes produxit, atque producit fructus, vt ex ijs terræ feracitas cognoſci poſſit; cum non ſicut cætera campeſtria, quæ irriguis fontibus tanquam auxiliarijs copijs ab ipſa terra ſurgentibus irrigetur, ſed de cælo pluuias expectat, nec enim illis victus procuratio, atque quæſitio promittitur, ſed in altum oculos attollere mandat: ille enim idem Deus, *qui eſcam dat pullis coruorum in uocantibus eum, & omne animal implet benedictione*, qui Abacuc ad paſcendum Danielem, & mulierem Sarreptanam, & coruum ad cibandum Eliam deſtinauit, ille met quotidie timoratos fideles excitat, vt ſeruis ſuis cibaria ſubminiſtrent, ſic enim in regalis dicitur conſtitutionum, [*neque per nos, neque per alios petantur à ſecularibus eleemoſyna, ſed tota ſpes noſtra in Chriſti Domini verbis poſita ſit, qui ait, primum querite regnum Dei.*] Ab hac altiſſima paupertate totius perfectionis radice, fœcundæ vites (huius enim ſancti inſtituti viri, tanquam aduenas, & peregrinos ex temporalium indigentia ſe exiſtiment) & iugiter eorum conuerſatio in cœlis eſt. Bonorum operum quoque, & ſpiritualium fructuum fœcunda pariter germinatio procedit, vt pulchritudo agri, hortorum plantaria, proceræ arbores plantis huius vineæ longè inferiores appareant. Si enim inter cana niuium, pruinas, frigora, viriditatem ſuam arua conſeruant, & cum ipſa tecta ſint gelu, partus ſui tamen exiguam ſpeciè viriditatis obtexuunt; vineæ tamen huius fœcundæ vites, quamuis paupertate, mortificationibus, vigilijs, ieiunijs, laboribus tanquam gelu amician- tur (vt faciem frigoris huius ſuſtinere viribus naturæ nullus poſſit) tamen illa ita ad eò fœcundatur, cœleſti virtute eius *qui dat niuem ſicut lanam, & mittit cryſtallum ſuam, ſicut buccellas*, vt multiplicentur incrementa frugum iuſtitix, & recondantur in

horreis ſempiternis. Seruat indumentum ſuum ſemper olea, vel pinus, ſed tamen folia ſua ſæpè commutat, neceæ quali diurna, ſed quali ſuccedanea prætendunt ſuæ arboris pulchritudine perpetui integritate veſtitus, vice muneris obumbrantes: non ſecus cum ſucceſſione morientibus, viuus itidem ſpiritus perſeuerat, eadem ſpecies, idem ordo regulæ ſeruat, & in orbem redit fructuum gratia copioſa. Sunt arbores in quibus pariter iuuentus viret, ſicut eſt palma, quæ conſeruat iugiter, abſque foliorum immutatione; non diſſimiliter iuuentus huius ordinis ſancti, abſque eo quod folium ſacrarum legum à vento negligentix, vel ſocordix in deſſuetudinem effluerit perſeuerat. Sed in vite ſiſtendo apparet ex ipſis ſarmentorum articulis fructus emittere, de quibus oriens vva formatur, paulatimque augeſcens immaturi parrus retinet acerbitatem, nec poteſt niſi matura iam, & cocta dulceſcere. At in vinea iſta flores fructus parturiunt, & vel ipſæ emiſſiones, Paradixus. Et quemadmodum ad verbum Domini feſtinantur campi non commiſſam ſibi frugem edere, ignorata horti olerum genera, ſorum miracula germinare, ripæ fluminum ſe veſtire mirtetis properauerunt, arbores cito ſurgere, cito ſe in flores induere, nec tã flores erumpere, quã fructus ex arbore, nulla præcedente immaturitate pendere. Sic in plantatione huius vineæ amenitas in folijs, maturitas in fructibus exemplo proceſſit, quia enim expectabat Dominus vvas in clero, & paſſim faciebat labruſcas, nec maturos reddebat fructus (vnde Hæreticorum dentes, qui ex contractione vuz acerbæ obſtupuerant, ſoliti, & ipſi diligere vinacia vuarum, imperfectorum clericorum vitia carpando, non maturitatem bonorum admirando) voluit Dominus, electos ad ſortem Domini Cleri-

P. I. C. I.

Clericos regulares maturos, & perfectos in exemplum reformandi cleri proponere. Vnde & prouidit proceres vites cito fringere, cito se in flores induere, fructus maturos producere, vt foliorum Ecclesiæ gutturi dulces essent, & in tanto hæresum ardore ad vmbra effugerent, ad folia exhortationum, concionum, & aliarum piarum exercitationum, vt canerent [ *sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* ]

Præcipue ergo vites è quibus sæcundi palmites processerunt, sunt Io. Petrus Carafa, qui postea ad Pontificatum summum euectus, Paulus Quartus est nuncupatus, B. Caietanus Tienæus, Paulus consiliarius, Bonifacius à Colle.

Cum igitur Aquilonares partes Hæreseos Lutherica flamma speciosa deserti combureret, & iam in discrimen res aduci poterat, vt scintilla ad alias partes Catholicas transuolaret, iamque prauis indies pullularent mores, quibus populi inficiebantur, multique, quorum intererat, vt pote adsciti in sortem Domini, qui imperitiæ plebi præire debuissent, potius sua tepiditate, vel etiam malo exemplo ad vitia inflectebant: in eam sententiam iuerunt, vt primæuum, vt Apostolicum institutum Deo duce rursus instauraretur, laboranti Ecclesiæ opem ferrent, primitiua Ecclesiæ feruore, oratione, sacramentorumque frequentia, & loco eorum clericorum, quos vel inscitia, & vel avaritia, vel improbitas corrupisset, alij subrogarentur, qui litteris, paupertate, bonitate toti Christiano orbi illucescerent. Sic probante Apostolico throno in augustissima æde Vaticana in altari Sancti Andree, sacrificio expleto, & cœlesti alimonia refecti, quatuor illi huius gregis duces, bini ad aram sancti Petri procedentes vota Altitissimo labijs distinxerunt solemnia, Ioan-

nem Petrum in Præpositum eligentes. His adiuncti Bernardinus Scottus, Hieronymus Consiliarius, Andreas Ursinus, Thomas Guerrerius, Marcus Pasqualinus, Matthæus Serauallensis, & Petrus laicus Perusinus Sacrorum Apostolorum numerum implentes, vt Apostolica vestigia imitarentur, quod & opere præstiterunt: in psalmis, hymnis Deo psallentes, & orantes, & pernoctantes in oratione Dei, die docentes turbas, instituendo, & formando hominum mores corruptissimos.

Sed mirum fuit, quod in primo flore non sit læsus botrus huius vineæ; grassante enim in Vrbe Roma Cæsareo exercitu, ima summis miscente audace militum manu, nec valentes hi duodeni Partes hortationibus etiam cum proprii capitis periculo furentes turbas reprimere, nec publicum extinguere incendium, in Pincianam domum se conferunt, oculos ad lachrymas pro Dei ira extinguenda, venas ad sanguinem pro fidei contestatione parantes. Vix canes venatici prædam olfecerunt, & duobus stimulis agitati, avaritiæ, & odij, domum circumeunt, & inueniunt, & clausis columbis intus, foris strepunt accipitres, certantes singuli, quinam primus prædam inuadat. Quid illa exigua familia fugere inualida, ab insidiatoribus obstricta: animum ad virtutem parat, tam religiosa, vt mortem non timeret, tam obfirmata, vt expectaret, & ad sacram ædiculam confugientes, Deum auxiliarem interpellat. Christe, dicebat, qui Daniele mæ ferocium leonum ore liberaisti, potes etiam domare belluinos horum hominum mores: tua virtute rotauit ignis in camino Babylonis, & pueros illæsos seruaui: Susanna iam ad supplicium genu fixerat, & de imposturis triumphauit. Audax illa manus, quæ templum tuum temerare proposuerat, pœnas meritas luit, potest

tua impedire tam nefarium sacrilegium, quæ non passa est furtum. At illi omnia diligenter perscrutantes, & nihil inuenientes apud eos qui omnia habebant, sola pauperie (de qua scriptum est, pauperies quasi vir armatus) prædones impaudè sunt effugati. Verum Saxones admoniti à milite (quem Tienæus antequam facultates pro Christo abdicasset inter gregarios famulos habebat harum quondam locuplete) in Pinceno delirescere, nulla mora domum rursus aggrediuntur, latibula perscrutantur, auri sacra fame extimulati, à Tienæo extorquere aurum non tantum minis, quam tormentis conantur; compressis artubus inter arcarum labra, totoque corpore funibus in sublime sublato. Quid Christi pauper, sed satis gratia cælesti diues quondam diuitijs affluens, at forrunis omnibus abiectis, religiosam pauperiem amplexus propter Christum? Nudus ait nudum sequor, quartus iam annus est, quo me hostiam Christo solemnino voto consecraui; si vos stipendijs Cæsari militaris, ego pauperie, & nuditate Christo milito, habens cum paupertate bonam militiam obedientiæ, & castitatis, quæ stipendijs militat sempiternis. Loricam iustitiæ, quæ spirituali munimine vndequaque me cingat, scutum fidei, quo vulnera pelam, gladium spiritus, quo Christi aduersarios propulsem assumpsit. Ergo si diuitias quæritis, quæ habeo, hæc do, immarcessibilem virtutum actus; si sanguis expolcitur, fidei iussorem non quæro, habeo vnde dissoluam, non mortis vadem eligo, sed executorem, patrimonio non possum vexationem istam redimere, sed censum habeo membrorum meorum, quæ pro religione expono, vnde scænore felici ditari potes, nam non est alia Martyrum vindicta, nisi carnificum conuersio; moriar ergo innocens, ne moriar nocens, vt qui mortè

machinatur, è nocenti innocēs fiat. Quod si præripis mortem, nihil ages, quam quod me priuas præmio, te ipsum beneficio. Hæc & similia dicta, animum inuictum ad martyrium in Tienæo euidenter ostendebant. Alij similiter flexa ceruice, vt sacræ victimæ prædonum maculationem expectabant impaudè, vnam spirantes, sperantesq; beatorum sedem. Sed in pij satellites probro eos afficere maluerunt quam gladio animaduertere. Reuinctis igitur post tergum manibus, vt rabiem exaurerent, diris conuitijs inurbaniter impetitos, & insuper variè cruciatos, in carcerem detrudunt, *digni habitis pro nomine Iesu contumeliam pati: è quo tandem incolumes Dei gratiæ egressi sunt, & per medias vrbis flamas, medijsq; armatos hostes, Deus ipse quasi nube tectos ad Ostia Tyberina produxit incolumes. Quis hos martyrij merito priuabit? audi Chrysost.* [*Martyrium fratres non euentu tantum estimatur, sed etiam proposito.* *Nō quū Martyr decollatur, tū fit Martyr sed ex quo propositum ostēdit profitendi, Martyr est, etiam si non patiat quæ Martyres solent*] similis causa in irruptione Gothica, martyres fecit, appellare, quos propter paupertatem tormenta passos historiæ testantur [*Eos ait Augustinus, qui olim in irruptione Gothica sub Alarico* *I. de Civ. c. 10.* *Rege etiā non habentes quid proderent, dū habere credebantur, torti sunt, profecto inter illa tormenta paupertatē confitentes, Christū fuisse confessos. Quapropter etsi non meruerunt ab hostibus cadi, non potuisse tamen sancta paupertatis confessores, sine cælesti mercede torqueri*] Sed ne tā sancta horum illustrium virorū conuersatio sub modio occultetur, tanquam lucernæ lucētes in caliginoso loco, reponantur super candelabrum, vt luceant omnibus qui in amplissima Ecclesiæ domo commorantur.

Primus ergo religionis Patrum Theatinorum (qui Clerici Regulares S. Syluestri, alias dici solent) Fundator, & Princeps,

*Sebastian.  
Veron. in  
Chronic.*

*Recorda-  
tus in Hist.  
Monast.*

imo Primus Cleri reformator, vt dicit Sebastianus Verronius, seu primus Apostolici ordinis Restitutor vt dicit Ricordatus, & primus Presbyter Regularis, quem tanquã Ducem Regularis Cleri, insecuti sunt alij ordinis Regularium Clericorum Societatis Iesu Bernabita, Sommaschi, Ministri infirmorum, Clerici Minores. Hic ergo Io. Petrus ex illustrissima, antiquissima, Heroum insignium splendore, ac c. pibus, titulis, ac prærogatiuis ad summum, cumulatissima, Carafa familia progenitus. Eius Mater cum Montem, qui Virginis nuncupatur ad Deiparæ templum pietatis ergo conscenderet, monita ab Eremita quodam fuit, vt pedetentim pergeret, & fatagens sui vteri, quod Summum Pontificem concepisset, & gereret. Natus vna cum lacte pieratem ebibisse monstrauit; puerulus enim Dominicanorum Ecclesiam frequentabat, & religionis sancti Dominici sitientissimus, duodecim annos natus habitum postulauit, quod ætas tenera à discreta Patrum illorum repulsa, obtinere non potuit. Similiter anno 14. S. Dominici habitum induere proposuerat, sed diuina sic prouidentia disponente, & ad alium finem illum destinante, vi parentum à claustro, ad quod confugerat raptus, domũ euocatus est. & sub optimis præceptoribus, artibus, Theologia, vtrique iuri, litterisque Græcis, Latinis, Hebraicis vsque admiraculum eruditus. S. Thomæ doctrinæ fuit studiosissimus, vocabat illam *basulum senectutis sue, & nunc Neapolim extinctum cum S. Thoma peperit*. Anno 30. Episc. Theatæ consecratus est; mox ad Ferdinandum Primum Nuncius destinatur, postea apud Angliæ Regem eodem titulo Apostolici Nuncij decoratus, tanta dexteritate, iustitia, fidelitate, restitabat, vt ad Ecclesiæ summa negotia pertractanda natus videretur. Sed ignis religiosæ vitæ serpebat

in corde eius, vt diuinæ, & cœlesti contemplationi vacaret expeditius, sarcina graui prælaturæ deposita, quam onus Angelicis humeris formidandum semper existimauit. De licentia ergo Sedis Apostolicæ Episcopatu se abdicans adscitis aliquot viris eiusdem sancti propõiti socijs, ad contemplationis arborem manum extendit, ordinem Theatinorum Romæ fundat, suauissimos fructus decerpens, contemplationi, apra loca Veronæ, & Venetijs incolens, vita abstinentissima, pauperima, & humilima contentus, se suaque diuino cultui addicēs, proximorum salutem intendens, manum suam extendit ad fortia, magno totius Christianitatis bono. Sed ne lateret lucerna sub modio ad Romanæ aulae mores emendandos, Concilium Oecumenicum absolendum, licet bis modestè reluctās, tertio tandē obtemperans, Paulo III. vocante Romam reuertitur, inter purpuratos Patres cohonestatur iterũ Theatinæ Ecclesiæ præficitur à Deo tanquam Aaron vocatus. Collato honore in obeundis Senatorijs muneribus intentus, ita doctrinæ, ac sanctitatis fama enituit, vt sol quidem inter sydera repentè ortus videretur: nam vitæ innocētia, religionis studio, eximia eruditione, diuinarum litterarum notitia, fecundia insigni in dicēda publicè sententia, inuictaque animi libertate, nec miris, ac precibus reuocabatur, sic ad sui admirationem, & beneuolentiam accendit, vt ab eo tempore omni honore, Imperio, Summi Sacerdotis fastigio omnium ore fuerit adiudicatus. Eius consilio à Paulo III. Sacræ Inquisitionis Tribunal, tanquam turris; quæ contra Damascum respiceret, hoc est, aduersus hæreticam prauitatem, erectum est, ad id munus septem delectis viris Lacedæmoniorum, & Atheniensium more, qui in improbos & perduelles nefarios, & refractarios, Apostatas,

*Hære-*